

05
A
1090



Fragment of a manuscript page with Gothic script, visible on the right edge of the red cover.



4
6
Disputationum Meteorologicarum

VII.

DE VENTIS,

Quam

D. O. M. A.

sub Praesidio

TOBIÆ TANDLERI MED. D.
& Mathem. Profess.

In illustri VVitebergica Academia examini
propositam

Tuebitur

PHILIPPVS HORSTIVS Brunsviga-
Saxo

Ad 14. Februarij diem horis locoq; consuetis.

VVITEBERGAE,

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.

Anno cl^o 1^o CVII.

Ornati 3. In. (Asparum Lente Vinaria)

NATALIVM splendore
VIRTVTVM decore;
multijugæ ERVDITIONIS ac DOCTRINAE fulgore
NOBILISSIMO

Dn.

EBERHARDO ab HOLLE

Illustrissimi Principis ac Domini

Dn.

PHILIPPI II.

Ducis Suedini Pomeraniae, &c.

Camerario & Equitum Magistro

NEC NON

ΛΟΓΩ ΚΑΙ ΠΕΙΡΑ

Excellentissimo, Dn.

DESIDERIO CONSTAN-
TINO OESLERO

Doctori

Philosopho Medico
acutissimo felicissimo

Illustris. Pomeraniæ Ducum Archiatro
dignissimo

*Dn. Mæcenatibus ac fauitoribus suis
æternum colendis*

Διάσκεψιν hanc μετεωρολογικὴν

& meritò

& lubens

vovet, inscribit

PHILIPPUS HORSTIUS

Brunopolita



05 A 1090



DE VENTIS.

CONTINVATIO.



Ontemplati sumus hucusque meteora tam quæ ignis, quàm quæ aquæ naturam æmulantur: desideratur adhuc eorum speculatio, quæ *σύστασις* aëream quodammodo participant. Huiusmodi sunt VENTI, quorum indoles admiranda cognoscendi jucunditatem, potestas maxima discendi ardorem; utilitas plantis & animalibus gratam salutem inspirat. Spirituosos igitur hos genios acie mentis, quantum poterimus, perlustrabimus.

Thesis I.

Ventus Isidoro, l. 13. Etymol. c. 11. dicitur, quod sit vehemens & violentus. Eius enim tanta vis est, ut saxa & arbores evellat, terram conturbet, maria commoveat, aliâq; præstet stupenda.

II.

Venti quæ sit essentia, valdè dissentiunt antiquiores Aristotele philosophi. Nam Hippocrates l. de flatib: Anaximander, ac Stoici, voluerunt esse ventum aëris fluentis & commoti impetum.

III.

Secuti sunt illos recentiores quidam, Vitruvius, Damascenus, Seneca, & Astrologi, qui motum à radijs variarum stellarum aërem, esse ventum somniant. Verùm de hac opinione videbimus in problematis.

IV.

Conjecturis igitur aliorum sepositis, verisimiliorem summi Philosophi sententiam amplectimur, cui *Ventus* ita definitur videtur, quod sit πλῆθὺς τῆς ἐκ γῆς ξηρᾶς ἀναθυμιάσεως, κινούμενον περὶ τὴν γῆν, hoc est, quod sit multitudo sicca exhalationis à terra elevata, commota circa terram.

V

Ex hac descriptione non difficulter omnes ventorum causas, tam interna, quàm externa, colligi possunt.

VI.

Si quis enim quærat, quæ sit materia ventorum: respondetur, ἀναθυμιάσεως: quo nomine duplex illa terra & aquarum evaporatio denotatur.

VII.

Si quis ulterius magis distinctè scire desideret, quænam ἀναθυμιάσεως species potissimum ad constitutionem ventorum concurrat: additur, ξηρᾶς.

VIII.

Quamvis autem præcipua ventorum generatio fiat è calido & sicco halitu, qui nihil viscositatis, ob quam incendi posset, obtinet: humidus tamen quandoq; vapor illi prædominanti ammiscetur.

IX.

Insuper formalis ventorum ratio designatur, quando πλῆθὺς τῆς ξηρᾶς ἀναθυμιάσεως κινούμενον apponitur. Ipsa enim fumosi halitus circa terram exhalatio ventorum formam constituit.

X.

Etsi verò prædicta ventorum definitio causas eorundem externas, efficientem puta & finalem non comprehendit: has tamen bona ratione è superioribus elicere non est admodò arduum.

XI.

Universalem enim omnium effectorem hinc quoq; præsupponi-

ponimus, Deum, qui ventos de suis educere thesauris, Ierem. c. 10. & Psalm. 134. legitur.

XII.

Nec particulares omnino, tamen si remotiores sunt, rejicimus, puta cælum cum suis astris. Sol enim suis radijs & cessare facit & commovet ventos, ut l. 2. Meteor. c. 5. memoratur.

XIII.

Nec Astrologis dicam scribimus, qui pro varia stellarum irradiatione sublunarem orbem variè moveri contendunt: Ita ventos Boreales Saturno, Iovi, Cancro, Scorpio & Piscibus; Meridionales Marti, Tauro, Virgini & Capricorno; Orientales soli, arietis Leoni & Sagittario; Occidentales Luna, Geminis, Libra & aquario ferunt acceptos.

XIV.

Proximam tamen ventorum effectricem statuimus mediae regionis aëreae frigiditatem, quæ fumos calore solis aliorumq; siderum virtute elevatos, ne altiùs ascendant, repellit, & ad inferiora detrudit.

XV.

Repercussi hi ventorum spiritus celerrimè per aërem decurrunt, & qua data porta, ruunt: quo sanè motu plurima concitant effecta tam per se fructuosa, quàm per accidens inferiori mundo perniciofa.

XVI.

Per se venti quiescentem aliàs aërem ventilant & quasi cribando expurgant, ne, si foret immotus, instar aquæ stantis, & quidem faciliùs computrescat, auramq; plantis ac viventibus aspiret insalubrem & venenatam.

XVII.

Aquas ijdem concussu suo à putredine conservant, & non aliter, quàm verrendo, ab inutilibus & noxijs recrementis liberant.

XVIII.

Nubes, si moderatiores fuerint, hinc inde dispersos congregant,

gant, & in pluvias resolvunt: at concitatiores & impetuosiores easdem rumpunt, disijciunt, ac dissolvunt, ut gratior cæli serenitas arrideat.

XIX.

Maximè verò terra sata facundant, ea suo impulsu exercendo, ut largius è terra sinu pabulum assumant, & in fructuum incrementa convertant.

XX.

Quinetiam hominum dissitis in locis habitantium commercia juvant, per mare navium cursus dirigendo.

XXI.

Per accidens verò, si validissimi ac rapidissimi sunt, montes adoriuntur, saxa excutiunt, arbores prosternunt, segetes affligunt, navigantes, domos aliaq; summo impetu disijciunt.

XXII.

Quantitas ventorum, si numerum spectes, vix explicari potest. Alij tamen pauciores, alij plures annotarunt.

XXIII.

Aristoteles l. 4. polit. c. 3. de sententia veterum pronunciat, ventos alios esse Boreales, alios Australes: reliquos autem esse horum excessus. At hæc valdè laxa distinctio.

XXIV.

Melius igitur alij ventos è quatuor mundi angulis spirantes observarunt quatuor, ut principales vel Cardinales, quam rationem Aeolus invenisse scribitur, Plin. l. 7. hist. nat. c. 56.

XXV.

Inter Cardinales primus est Subsolanus, ab ortu æquinoctiali: secundus Auster, à meridie; tertius Favonius, ab occasu æquinoctiali; quartus Boreas à septentrione flans. Hos ita Pontanus designat:

A summo Boreas, Notus imo spirat olympo,
Occasum infedit Zephyrus, venit Eurus ab ortu.

XXVI.

Sed quia magna datur inter principales intercapedo, & in hoc intervallo ventorum diversitas: ideò Andronicus Cyrrhestes adhuc

Homer. Odyf.
l. 5.
Plin. l. 2. c. 49.

adhuc alios quatuor Collaterales, quasi satellites invenit, eorumque cum principibus observationem in turri marmorea octogona Atheniensibus exhibuit, Vitruvio l. 1. Arch. c. 6. referente.

XXVII.

Subsolano enim ab ortu brumali Vulturum, quem Graeci εὐρον, quod pulcrè fluat, nominant; Austro Africum, ab occasu brumali, qui Graecis λιψ est; Zephyro Caurum, ab occasu solstitiali; Boreae Aquilonem adjungit.

XXVIII.

Subtilius tamen adhuc alij, Aristotelem l. 2. Meteor. c. 6. & Gellium l. 2. c. 22. fortè etiam Astronomos, qui duodecim signa Zodiaci notant, secuti, numerant duodecim, prioribus quatuor adijcientes.

XXIX.

Subsolano enim ab ortu solstitiali Cæciam seu Hellepontium; Austro à latere versus occasum, Austroafricum; à latere versus Ortum, Euronotum; Boreae versus occasum Σεροκίαν vel Circium associant.

XXX.

Et quamvis insuper hydrographi recentiores ob accuratiorum navigandi rationem ventos 16. aut 32. beneficio compassi nautici colligant: physicis tamen duodenarius ventorum numeros sufficit.

XXXI.

Qualitates ventorum sunt admodum variae, cum propter materiam diversimodè mixtam, & virtutes radiorum solis ac planetarum dissimiles: tum propter loca, è quibus, per quae & contra quae spirant.

XXXII.

Materia ventorum, exhalatio, prout ab admixto vapore temperatur: ita quoque flatus huius vel illius naturae producit.

XXXIII. Solis

XXXIII.

Solis etiam Lunaq; dispar aspectus, motus, & cum stellis fixis aut errantibus consensus aut dissensus plurimam ventorum alterationem adfert, ut Astronomi cum experientia demonstrant.

XXXIV.

Locorum cardinalium, è quibus spirant, affectionem venti præcipuè imitantur. Hinc subsolanus, sub sole diutius agens, calidus & siccus est: eius enim halitus à radijs solis magis depuratur. Ideò salubrior existit.

XXXV.

Favonius à fovendo nominatus, temperatè frigidus est, ob solis recessum; & humidus, ob vaporum plurimam collectionem. Sanior hic in occasu solis, ab eius radijs repurgatus, quàm sub ortu, quando crassior & impurior.

XXXVI.

Plurimum quoq; refert cognoscere, per quæ loca venti accurrunt. Auster enim calidus est, à meridionali solis calore; & quod à Zona torrida procedat: humidus verò, quod per mare transiens, vapores plurimos alliciat, hinc pluvias, catarrhos, febres & alia importat.

XXXVII.

Septentrio, Græcis ἀναγρία, est frigidus & siccus, tum quia longius à lumine solis recedit, tum quia per loca nivosa & conglaciata defertur. Optimus igitur hic est astringendo ad nativi caloris defensionem, superfluitatum consumptionem, pestilentis aëris correctionem, & sanitatis tutelam.

XXXVIII.

Reliqui collaterales, prout ad unum vel alterum Cardinalium propius accedunt: ita vires quoq; mistas alias atq; alias mutuantur.

XXXIX.

Quod si venti vel in montes, vel in loca bituminosa sulphu-

phureave, vel in cavernas, vel in stagna impingant, inde re-
sultantes non modò fortiores, sed & varijs affecti qualitatibus
evolant.

XL.

Relatio ventorum sive ad certas regiones, sive ad tempora,
diversas ipsis appellationes imponit.

XLI.

Inde provinciales appellantur, qui locis quibusdam sunt
familiares, ut Corus Atheniensibus, Sciron à rupe Scironia; Ma-
cedonibus Olympius, quod ab Olympo videatur descendere, dici-
tur: Cærias, alijs Hellepontius, quod ab Helleponto spiret. Plin.
lib. 2. hist. nat. cap. 49.

XLII.

Temporis respectu sunt ὀρνιθία, ἀέθροποι, ἐσηθία, omnes
ex Aquilonio genere.

XLIII.

ὀρνιθία, quos alijs Chelidonias vocant, ab avium vel hi-
rundinum reditu, 70. die post brumam in vere spirant, per 9. di-
es durantes. Sunt autem debiliores ac tardiores Ethesiis, ob lon-
giorem solis à loco ipsorum natali absentiam, & radiorum imbe-
cillitatem, foetura avium opportuni.

XLIV.

ἀέθροποι sunt aquilones, ortum Caniculae Cosmicum die-
bus octo præcurrentes, qui Seneca venti somniculosi & delicati
nominantur, quod horum flatu nautæ in somnum & delicias
resolvantur.

XLV.

Εσηθία Latinis annui, sunt ijdem aquilones, post orti Syrii
biduum perflare constantius incipientes, ad 40. usq; dies. Frigi-
diores autem sunt, quod à nivibus & glacie sub Arcto resolutis
mittantur, ad ardorem Syrii mitigandum. Interdum quoq; flant
calore solis urgente: noctu cessant, quod ob frigiditatem congela-
ta liquefcere desinunt.

B

πείθρα

XLVI.

in qua ventorum communissimum est motus, & quidem obliquus aut lateralis. Non enim, ut alia corpora sublunaria, motu recto vel sursum, ut levia; vel deorsum ut gravia: Sed in medio & transverso venti feruntur.

XLVII.

Causa talis agitationis partim in ipsa ventorum natura consistit: Levitas enim & caliditas halituum ventosorum in sublime viam affectant: partim in externo principio. Frigiditas enim aereæ regionis mediæ concitatos illos spiritus repellit deorsum. Ex hac igitur causarū pugna fit ille motus in transversum.

XLVIII.

Accedit in imo aere, quod repercusso spiritui terra neget transitum, ideoque cogat in obliquum unà cum aere moveri. Non enim ventus illuc tendit, unde perspirare vel respirare non datur.

XLIX.

Pugnant inter se venti non quidem diametraliter oppositi; (tales enim in idem aeris spatium concurrere nequeunt, & si eodem tempore spirarent, se mutuò vel impedirent vel jugularent) sed collaterales & è diversis mundi plagis confligentes, ut si Euris & Aquilo collidant.

L.

Interdum verò subito remittunt, vel ob solis æstum halitus dissipantem: vel ob frigoris intensiorem, quæ fumos deprimat, aut, ne eleventur, terram constringit; vel ob imbrem, qui fumos exaltatos debilitat ac dejicit, & poros terra replet.

LI.

Cognata sunt ventis aura, flatus & procella. Vento enim ut generali nomini, hæc tria subiciuntur.

LII.

Aura levior est aeris agitatio, à subtili exhalatione potissimum sub æstate facta, ad æstum temperandum: qualis ventulus ab ictu flabelli excitatur. Flatus,

LIII.

Flatus est specialior vox, ventum alicui loco familiarem designans.

LIV.

Procella est ventus impetuosior, majore tumultu quaeq; perturbans ac saepe destruens instar torrentium, qui repente ruunt iterumq; desinunt.

LV.

Tres hujusmodi flatus tumultuosi species vulgò, pro materia causarum & accidentium varietate statuuntur, Ecnephas, Typhon & Prester.

LVI.

Ἐκνεφίας quod ἐκ τῶν νεφῶν erumpat, Latinis procella speciatim dicitur, quod obvia quaeq; percellat ac prosternat: Germ. ein Sturmwind.

LVII.

Est enim flatus repentinus è denso multoq; fumo conglobato constans, qui vi frigidae nubis coarctatus & incallescens, maximo cum impetu prorumpit, & obliquè terram impetit.

LVIII.

Magnam saepe facit in aere obscuritatem ac pluvias anteit, quae pariter dejectis ac resolutis nubibus confertim sequuntur.

LIX.

Τυφῶν, διὰ τὸ τυφῆν, quod infuscet, vel διὰ τὸ τυφῆν σφοδρῶς, quod validè concutiat; Latinis vortex à gyris; & turbo vel columna à figura nominatur: German. ein Wirbel oder Kreuschwind.

LX.

Est & hic spiritus fumosus, non incensus, è nube densiore violenter elisus & in aliam incurrens, cujus vel spissitudine vel cavitate repulsus in gyrum vertitur, ac deorsum revolutus varia involvit, evellit & elevat.

LXI.

Quod si deniq; fumosa exhalatio à nube avulsa paulum te-

nuior reddatur, & violēti motus pernīcitate incendatur, igneus fit turbo, vel ignea pluvia, quam Græci τῶν ἤνεμα vocant, à τῶν ἤνεμα accendo vel τῶν ἤνεμα, comburo.

LXII.

Non solum enim Prester aerem colorat & illustrat, quo respectu à Turbine differt, qui Philosopho τὸ πῦρ ἀρρηπῆταις l. 3. Meteor. c. 1. appellatur: sed etiam ad terram demissus, inflamat & comburit sylvas aliāq; quin etiā mare facit effervesce.

LXIII.

Conveniunt igitur repentini flatus cum fulgure & fulmine, tum respectu materia, nempe calidi & sicci halitus: tum respectu causarum efficientium. Conspirant enim ad horum productionem remotè sidera quaedam: propinquiùs ἀντιπερὶσσοῖς in nube facta: tandem violenti motus collisio.

LXIV.

Differunt tamen à coruscatione & fulmine tumultuosi venti, quod illa materiam subtiliorem & diffusam; hi crassiore & compactiorem sequantur: quod illa plus flammæ referant & cum tonitruo fiant: hi flatuum plus sine tonitruo representent.

LXV.

Distinguitur quoq; procella à typhone, quod illa densiore constet halitu, flatuq; potentiore deorsum feratur obliquè, cum nube obscura & indigesta: sed hic vortex à fumo fit rariore, cum vento minore, tortuoso tamen, & incoloratus est; quia concoctus.

LXVI

Prester deniq; longius à procella recedit, quod è spiritu subtiliore fiat, motuq; concitatiſſimo comburat, non sine maxima hominum consternatione.

Problema I.

An ventus sit aër concitatus:

Vetus est plurimorum Philosophorum opinio, quod *ventus nuda duntaxat aeris commotio sit*. Hippocrati enim l. 1. de flatibus *ἀέρας ἢ ἐξ ἀέρος ἢ ἐξ ὕδατος ἢ ἐξ αἵματος* statuitur, ut & Anaximandro: Stoicis anhelitus terræ frigidus vocatur, ut l. 2. de divinatione refert Tullius: Metrodoro Chio visum, quod ex humida aquarum expiratione, postquam à sole exusta & arefacta est, venti gignantur. Vitruvius l. 1. Archit. c. 6. ventum dixit aeris undam: quam Astrologi vario radiorū à planetis alijsq; sideribus sparsorum jactu cieri, contendunt. Non aliter quàm si quis motu flabelli aerem ventilet, ut calidior aura refrigeretur. In hanc quoq; partem Seneca l. 5. natur. quæst. c. 1. recedit. Atqui plura sunt rationū pondera, quæ contrarium persuadent. Subtilissimum enim sua natura aerem cur aliquis in ventorum longè crassiorum familiam reponeret? cur Iovem terræ filijs Gigantibus ascriberet? annon, cum in ignis Elementaris confinio secundum Philosophum sit aer maximè mobilis, ibi quoq; ventus collocandus? Quid? quod aer per se sit *ἀκίνητος*, quomodo igitur ventus, cuius proprium est moveri & movere? Quis humidissimum nescit aerem, sed exiccare ventos? Accedit Hippocrates, qui ventos non ab aere, sed à nive, glacie, gelu vehemente, fluminibus, stagnis terraq; humectata & refrigerata spirare, pronunciat. Et quid prohiberet affirmare, ventos esse in nostra potestate, si quælibet aeris concussio ventus esset? Aere enim à campanarum pulsu tormentorumq; bellicorum fragore; quinetiam ab arborum ac turrium ruina agitari, nemo negat: ventum tamen inde fieri, nec ullus dixerit: ut neq; quamvis aquam leniter motam fluvium licet appellare, sed eam tantùm, quæ perennem sui motus fontem sortita est. Quamvis igitur impulsu ventorum

1. Neg.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

torum pariter quoq; aër commoveatur: illorum tamen ex alio principio materia, prout fecimus, deducenda.

Problema II.

An omnis ventus calidus & siccus?

1. Quandoquidem proxima ventorum materia secundū Aristotelem l. 2. Meteor. c. 4. ponitur *αἰαθμίαις*, & quidē sicca; motus quoq; velocissimus & exiccandi vis, ijs convenit: non immeritò quis dubitaret, quomodo frigidus Boreas, humidus Auster, alijq; alterius temperaturæ venti censeantur. Verūm difficultatis huius nodum facile solvemus, ubi dixerimus, ventos quidem essentialiter esse calidos & siccos: accidentaliter tamen alias ipsi qualitates communicari, prout vel aer humidior frigidiorvè, vel halitus vaporosi ipsi commiscentur, à locis, per quæ transeunt, elevati. Quarum *νεγίστεων* exempla theses includunt.
- 2.

Problema III.

An Typhon inpersione aceti solvatur?

Plinius autor est, Typhonis impetum tenui remedio aceti in advenientem infusi, posse mitigari vel tolli, velut l. 2. hist. natur. c. 50. refert. Idem causam assignat, quod aceti frigidissima natura calidissimi fumi vehementiam extinguat. At melius hoc attenuandi virtuti, quam acetum possidet maximam, ascribendum. Eius enim tanta vis est, ut non solum durissimos uniones dissolvat, sed etiam solidissimas rupes macerando penetret & comminuat, ut Plin. l. 9. c. 35. & l. 23. c. 1. Livius l. 1. dec. 3. recensent. Quidni igitur aceti infusio typhonis halitum dissiparet?

Ad

AD

Ornatissimum Dn. Respon-

dentem *συμπαραίωτων & σύνθετον* amicis.
simum.

V Tribus clausos dederat profundi
Æquoris ventos DEUS, ut secundo
liet immensi Oceani per alta
Flumine, Ulyssi.

○ Sed nimis rerum cupidi novarum
Intus argentum malè suspicantes,
Amphuræ tegmen comites resignant:

Protenus ecce!

Proruunt omnes, varijsque motum
Fluctibus turbant maris æquor alti.

Rectius multò cohibes Philippe

Cum duce ventos,

Hac brevi chartâ velut impeditos.

Dum refers gentis numerum universæ,

Inde naturasque domosque & ortus

Ordine longo.

Dispicias: nec bella taces timenda.

(Sæpe enim lis magna duos fatigat)

Quid procellosus veniens Eois

Eurus ab oris.

Aut plagâ surgens Zephyrus cadente,

Quidve portendat Scythicis ab arcto

Frigida rumpens Boreas, quid Auster

Sol ubi fessos

Egerat sublimis equos anhelans.

Hos ducis fratres aliosque plures

Chartulis prendis brevibus prorervos

Docte Philippe.

Sed quid immunes pateris volare

Æthra per summum, retinesne clausos?

Non potes: solius enim Dei est hoc

Cunctipotentie.

Inte-

Interim dotes tamen expedire
Perge naturæ, variasq; vires
Est cui sanum cerebrum, favebit
Quilibet, ausis.

Henricus Conradi Brunsvi-
gensis.

Ad eundem.

PHILIPPUS HORSTIUS BRUNOVICENSIS SAXO.
ἀναζαμματιζόμενος
CONSTANS PHILOSOPHI SUXISTI PURIUS UBER.

Sunt Musæ matres: pendemus ab ubere matrum:

Vbera sunt Musis turba dicata Sophôn.

Quò quis plura bibet, quò quis meliora salubri

Hauriet è suctu, sic mage crescet eò.

Quò mage quis crescet, fuerit magis arduus, inter

Sidera, dum sidus fiat & ipse novum.

HORSTI, vis dicam? Forsan tibi blandior? Ah non.

Conveniunt rebus nomina sæpe suis

CONSTANS PHILOSOPHI SUXISTI PURIUS UBER

Hactenus, & totus nunc quoq; lacte mades.

Quò tandem cresces? quò tendes arduus? & quem

Astra inter satages obtinuisse locum?

Nominis HORSTIANI sunt nobis Sidera, Tu fas

Non procul hinc quondam distitus esse queas.

Georg-Andreas Th. F. Fa-
bricius Hertzbergensis

φιλοφιλίας ἕνεκα
deproperabat.

FINIS.

DS A 1090


ULB Halle 3
003 765 44X



1517







B.I.G.

Farbkarte #13



...teorologicarum
 ...
 ...NTIS,
 ...
 ...M. A.
 ...idio
 ...ERI MED. D.
 ...n. Profess.
 ...Academia examini
 ...
 ...r
 ...STIVS Brunsviga-
 ...oris locoq; consuetis.
 ...RGAE,
 ...e Iohan. Gorman.
 ...CVII.
 ...rum *Lovelo Vinaria* ...